


[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





10
1.
2.
3.
4.
16
2.
3.



1626.

1. Arminius, Dominicus: Illustrum juris questionum
liber.
2. Arminius, Dominicus: De testamentis
3. Franckius, Georgius: De aestimatione rerum
debitarum
4. Inerius, Johannes: De attentatis appellatione
pendente

1627.

Inlin, Daniel: De reservationis summi & nostri
principis.

1628.

1. Formannus, Christophorus: De actibus canonice
partim jure et privilegiis.
2. Inlin, Daniel: De emptione venditione
3. Rimerus, Valentinus: Utrum, quod incapaci
a testatore relictum est, pertinet ad fiduciam?

1629.

1. Furlio, Daniel: De nuptiis.
2. Roepinck, Wenerus: De melancholia.
3. Richter, Christophorus Philippus: De emptione et
venditione
4. Riemerus, Valentinus: De conceptionibus generalibus.

1630.

1. Formanus, Ortelphus: Sylloge controversiarum
sententiarum theoreticarum - practicarum.
2. Riemerus, Valentinus: De injuriis et famosis
litteris.
3. Theodoricus, Petrus: De jure divinis, Sacris Imp.
Constitutionibus promulgato.
4. Anerius, Johannes: De privilegiis rusticorum

1631.

1. Arminius, Tominius: De tributorum et collectarum
indictionibus.

2. Riemerus, Valentinus: De actionum cessione.

3. Riemerus, Valentinus: Sylloge generalis materiae
probatoriae

4. Riemerus, Valentinus: De dolo.

1632.

Riemerus, Valentinus: An status et ordines Imperii
insto federe cum invictissimis . . . rege Sacciae,
aperta morte in exercitum numerosum Imperatoris,
juxta irruerint?

1633.

Riemerus, Valentinus: De usufructu.

1634.

Riemerus, Valentinus: Semicenturia questionum
celeberrimum et difficiliorum de probationibus et
presumptionibus.

1635.

1. Annus, Dominicus: Fasciculus . . . questionum
ex . . . contractuum materia

1635

2. Bembekker, Varro Philippus: De substitutoribus.
3. Formanus, Ortelius: De professoribus, qui in urbe
Constantinopolitana docentes, ex lege meruerunt
Comitivam.
4. Püreschenckh, Zacharius: De juramento abstinentie
fidei, quod accant in litem.
5. Püreschenckh, Zacharius: De induciis moratoris
sen rescriptis, sive literis dilatoriis annualibus
aut quinquennialibus.
6. Püreschenckh, Zacharius: De compensationibus.
7. Piemerus, Valentinus: Disputatio in unum. ~~et l. 1. c. 1.~~
et l. 3. ff. de just et jur.

D. O. M. A.
DISPUTATIO MEDICA
D E

MELANCHOLIA.

Facultatis Medicæ Con-
sensu

Publicæ disquisitioni subjecta

IN ACADEMIA JENENSI

P R Æ S I D E

WERNERO ROLFINCK
HAMBURG, MEDICINÆ D.
AC PROFESSORE PUBL.

R E S P O N D E N T E

JOHANNE CASPARO HORN,
Vall. Joach. Boëm.

Ad diem Julii horâ locoq̃ solitis.



J E N Æ

Sub Calcographéo Tobia Steinmanni,

ANNO M. DC. XXIX.

767.

37

1629,2

10





VIRIS

*Clarissimis, Consultissimis, Experientissimis,
Prudentissimis & Spectatissimis,*

Dn. SEBASTIANO HILLIGERO,
Reipub. Chemnicens. Consuli & Seniori
primario, Avo materno, Patris loco
honorando.

Dn. CASPARO GRIEBNERO,
Philosophiæ & Medicinæ Doctore, nec
non Practico ibid. solertissimo.

Dn. SEBASTIANO HILLIGERO
Juniori, Reipub. ibid. Adessori, Patrueli
ac Curatori fidelissimo.

Dn. ZACHARIÆ HILLIGERO,
Patritio Chemnicens. & Patrueli
dignissimo.

*Promotoribus & Fautoribus suis colendis,
& nunquam non observandis,*

Disputationem hanc Medicam,

In singularis observantia σύμβολον,

& gratitudinis τευμήριον

Dedicare & humaniter offerre voluit

JOHANN CASPAR HORN

RESPONDENS.



Alamitosissimus est affectus, in quo animal admirandum plenum rationis & consilii excors redditur, meticulosum, tremens, omnia timet, ac semetipsum ut bestia, quæ sui speciem contemplatur, reformidat, desperabundusq; vigiliis torquetur.

NOMINATUR MELANCHOLIA ab Hippocr. 3. aph. 14. à materiâ morbum causante, teste Galeno 3. loc. aff. cap. 7. & 2. Meth. Med. c. 2. Morbus atræ bilis à Celso lib. 2. c. 1.

DEFINITUR. DELIRIUM seu depravatio Imaginationis & Rationis, sine febre & furore, cum timore & mœrore, dependens ab obtenebratione spirituum animalium & phantasmate tenebricoso.

GENUS sua forma limitatum est delirium seu depravatio imaginationis & rationis sine febre & furore, cum mœrore & mœsticia. Imago depravatur per se & ratione organi: Ratiocinatio per accidens & errore objecti. Non tamen depravatio hæc in omnibus operationibus necessaria est. Nam ut ait Aretæus lib. 1. caus. & sign. diuturn. cap. 5. Interdum in Melancholia in una re est lapsus, constante in reliquis iudicio. Memoria autem rarò læditur, ideò nonnunquam & probè ratiocinantur & versuti admodum sunt. Deliriorum tot sunt species, & absurdarum imaginationum varietates, ut non facile comprehendi queant, Galenus 3. loc. aff. cap. 7. tres historias recenset notatu dignas; Unus se figulinum vas putabat, alter galinaceum, tertius se instar Atlantis totum orbem humeris sustinere credebat. Laurentius Ferrerii Dominus in peculiar. tract. jucunda & ridicula recenset exempla, ut & Schenck. lib. 1. obs. 254. Marcellus Donatus lib. 2. cap. 1. habet historiam unius, qui ex butyro se compactum aiebat, ideoque clibano noluit appropinquare, ne dissolveretur. Plutarchus lib. de clar. mulier. recenset Milesias Virgines ad insaniam omnes conversas, per omnes

domos, tota passim urbe laqueo se suspendisse. Alius capite se carere asserbat, quod ob tyrannidem sibi amputatum putabat. Vidi Melancholicum, qui se gallinam esse putabat, unde corpore melle inuncto, culcitraque dissectâ, plumis se obvolvitur, & ovis insedit, eadem exclusurus. In summa Melancholicorum plena sunt omnia, & variæ deliriorum species, quæ tamen omnes in eo conveniunt, quod sint SINE FEBRI, & hoc ipso distinguitur à Phrenitide, SINE FURORE, eo ipso differt à Mania, CUM MOERORE ET MOESTICIA diu perseverante sine causa manifesta: Duas has formales proprietates delirii melancholici assignavit Hippocrat. 6. aphor. 23. confirmavit Galenus in comm. & 2. causis symptom. cap. 2. 3. loc. aff. cap. 7. Timor oritur ob imaginationem mali futuri corruptivi. Mœror, ob falsam imaginationem mali præsentis corruptivi vel præteriti. utraque animi passio diu durare, & sine causa manifesta induci debet. Ex his patet, formalem rationem delirii Melancholici consistere in aberratione Imaginationis & Rationis, sine febre & furore, cum mœrore & mœsticia, & ut insinuat Galenus 2. caus. sympr. cap. ult. rectè referrâ posse ad symptomata facultatis animalis principis depravata.

SUBJECTUM seu *πρωτον δεκτικον* Cerebrum est, quod afficitur aliquando per *ιδιοπαθειαν* in essentiali, per *συμπαθειαν* in hypochondriaca, & universali. Quomodo autem afficiatur, dubium est. Galenus 3. loc. aff. cap. 7. ubi explicat modum transmutationis Epilepsiæ in Melancholiam & contrâ, constituit, in Melancholia cerebrum affici, ut simile. Thomas Erastus disp. Medic. præsupponens actiones principes non esse similes actiones, sed instrumentales, & perfici à spiritibus, eorumque dispositione organica, prout sunt lucidi, tenues, subtiles, puri, concludit cerebrum & ejus spiritus in Melancholico delirio affici ut Instrumentales. Nos statuimus cerebrum affici prout est simile mistum vivens, spiritibus suis & calido nativo perfusum, & in Melancholia essentiali confirmata, affici ipsam substantiam cerebri cum spiritibus, In Sympathica autem sufficere, si spiritus soli inquinentur. Si porro quærat, an substantia & spiritus cerebri afficiantur secundum primas, secundas,

cundas, tertias & occultas qualitates, respondemus, nonnunquam lædi OCCULTAS, quæ ἰδιοσυγκρασίαν constituunt, SECUNDAS semper, in quibus præcipua instrumentalitas spirituum consistit. PRIMAS autem, quæ semper ferè una cum secundis alterationem recipiunt, & sicciore & frigidiores reddi.

CAUSA. UNIVERSALIS cujuscunque delirii IMMEDIATA omninò, duplex constitui debet: I. OBTENEBRATIO SPIRITUUM ANIMALIUM assignata à Galeno 3. loc. aff. cap. clarus 6. aphor. 23. clarissime omnium 2. caus. sympt. c. ult. in quibus omnibus locis docet: Mœrorem melancholicorum non aliunde proficisci, quàm à nigredine humoris aut vaporis, ut enim tenebræ externæ terrorem incutiunt omnibus, nisi aut audaces fuerint aut docti, sic atræ bilis color mentis sedem occupans eam tenebris similem reddens, timorem efficit, Avicenna lib. 3. fin. 1. tract. 4. cap. 18. cum Galeno consentit, dum causam proximam constituit malitiam complexionis frigidaë & siccaë cum vel sine materia, in vel extra cerebrum, permuante substantiam cerebri & complexionem luminosi ad tenebras. Ab hac autem obtenebratione læditur Imaginatio, II. PHANTASMA TENEBRICOSUM, ejus merito Ratiocinatio depravatur.

MEDIATÆ causæ, quæ obtenebrationem hanc spiritibus animalibus conciliant. PROXIMIORES sunt, tum modus ipse substantiæ cerebri ab naturali albedine deflectentis, & spiritus vitales etiam puros inquinantis, tum vapores atri obscuro, elevati à calore debili, ex humore melancholico. Hic à Galeno 2. facult. natural. cap. 9. duplex constituitur. 1. Præternaturalis, quæ propriè Atrabilis appellatur. 2. Naturalis & ex hac melancholicum delirium oriri concludit. Estque modò simplex hic humor, modò mistus cum sanguine, bili, pituita, sero. Atq; in his ferè omnes cum Galeno consentiunt. PLATERUS tamen dissentit, negat enim expressè humorem illum esse frigidum, sed aliquando calidum, & cujusdam malignitatis participem, quod non videtur ita simpliciter negari posse. Humor hic in tribus potissimùm locis colligi potest: 1. In

A 3 cerebro

cerebro, 2. in toto corpore & corde, & 3. in hypochondriis, partibusque sub iis contentis non solum in ventriculo & pyloro, inflammatis, verum præcipue in venis & arteriis mesaraicis & splenicis, imò in visceribus ipsis Jecore & Liene, nonnumquam in pendula omenti parte propè Lienem, & Septo transverso. REMOTIORES NATURALES sunt temperamentum frigidum, siccum, totius vel cordis, nonnumquam calidi & sicci in hunc affectum incidunt. Ætas Juvenilis etiam disponit ad hunc affectum teste *Celso Aureliano lib. 1. τῶν κροῦνών cap. 5.* INTER NON NATURALES Aër siccus, sive, calidus sive frigidus occurrit, Autumnus & Ver per accidens feracissimi Melancholiarum. Victus ratio potentissima est, qualis à Galeno enumeratur 3. loc. aff. cap. 7. Frigida sicca potissimum, Nonnumquam etiam calida acris idem præstat. Affectuum animi magna vis est. Rustica ex adulterio inscienter commisso cum vicino, quem maritum esse putabat, incidit in Melancholiam, à quâ non nisi per mortem liberari potuit teste *Plater. lib. 2. obs.* Amor & Invidia faciliè in hoc delirium præcipitare possunt. Amor à veteribus γλυκυπιρῶς appellatus teste *Galeno 3. simpl. medic. facult. c. 19.* turbat consilia sana, generosos spiritus frangit, animales, vitales & naturales, coctionem primam labefactat. *Valleriola. lib. 2. observ. 7.* refert quendam ex amore in insaniam delapsum, melancholicum factum fuisse, amatae speciem, in conspectu se habere affirmabat, illi blandiebatur, ac si præsens fuisset, qui tandem ab ipso vix magno labore curatus fuit, Invidia quoque fortunæ, doctrinae alterius cor rødit, ut vitiatis concoctionibus hi planè Melancholici fiant, de omnibus malè suspicentur soli velint esse dictatores rei literariæ, sibi omnia bene ab aliis dicta attribuant, sua inventa ab aliis pro suis vendi conquerantur, adeoq; nullis nisi sibi ipsis die & nocte molestias creant. RES PRÆTERNATURAM similiter disponunt ad hunc affectum, Febres acutæ, Mania, præcipuè.

PARTICULARES autem delirii melancholici causæ, explicatu difficiles sunt, in hac cœcitate humana, faciliè tamen se expedit, qui cogitat cum *Erasmo* idem accidere delirantibus,

rantibus, quod dormientibus, ut enim illis somnia occurrere solent, Naturalia ab humoris dominantis natura, Animalia, & supranaturalia, ita etiam deliria variantur interdum:

I. A NATURALI dispositione corporis, qui extreme sicco temperamento præditi sunt, in vitrum se conversos, qui flatu distenduntur, se volare putabant, si cum sanguine misceantur Vapores, delirium erit cum risu, illis dissipatis, ad tristitiam redibunt; Si bilis miscebitur, rixosi erunt, si pituita, imaginabuntur se vitreos habere clunes, si serositates, credunt se tantam urinæ copiam continere in vesica, ut si mingant, universus inundaturus sit orbis. Si illis, quæ ex humoribus generantur, abundant, diversa oriuntur deliria, quando vermes mordent intestina, putabant se habere serpentes in ventre, si flatus, credent adesse ranas, ut declarat historia *Plater. libr. 1. observ.* Vaporum motus etiam deliria variat, si ad caput movebuntur, putabunt se caput habere maximum, si ad nasum, illum longissimum judicabunt, si ad aures, credent se audire tubicinem, per corpus totum si dispergatur, existimabunt se esse tantæ molis, ut per januam non possint exire, Fracantianus Professor olim primarius Acad. Patavinæ eo delirio fuit correptus, & cum vi per januam portaretur, parum absuit, quin moreretur; quibus vapores ex vasibus spermaticis adscendunt, putabunt se esse Veneres.

II. ANIMALES etiam actiones, ut, cogitationes fixæ ex vitæ genere oriundæ variant delirium, si quispiam diu cœlestia meditatur, à mundanis se abstrahens, si incidit in melancholiam, credit se esse Deum, cum angelis loqui, animas ex inferno evocare, habere visiones. Monachi preces murmurant. Quidam qui putabat se esse Pontificem, ab hac falsâ imaginatione liberatus, noluit gratias agere Medico, quod ex Pontifice ipsum fecisset mendicum. Qui forensibus negotiis insudant, nihil præter Arresta & supplices libellos in animo & ore habent: Chymicus auri confictionem somniat, talis fuit Generosus Baro apud *Plater. lib. 1. observ.* Fixus alicujus rei appetitus certum delirium inducit, si quis amat puellam, si fuerit effe-

effœminatus, putabit se esse omnium pulcerrimum & ab omnibus in complexum expeti, si fœmina erit, se Venere pulcriorem putabit, ut illa Veneta, quæ nuda per urbem ambulavit: Indecens esse dicens, quod Venerea hæc pulcritudo vestibus obeleatur.

III. REBUS SUPRA NATURAM, ut Dæmoni, fascinationibus an imputari possit aut debeat illa potentia mentem alienandi, cuilibet relinquimus judicandum.

IV. Quarundam autem depravatarum imaginationum ratio nulla vel probabilis reddi potest. Qualis est annotata ab Hippocr. 5. Epid. t. 49. in historia Nicanoris. Artemidorus viso crocodilo firmiter sibi persuasit, brachia & crura amputata sibi esse.

DIFFERENTIÆ: I. RATIONE GENERIS totuplex est quot depravatae Imaginationis species. ALIA tamen Levior est, in qua perperam solum imaginantur, alia gravior, cum absurda etiam loquuntur alia gravissima, in qua ipso opere exsequuntur, & nonnunquam violentes sibi inferunt manus.

II. RATIONE SUBJECTI. Alia essentialis, alia per consensum totius. Essentialis est vel *πρωτοπαθική* vel *δευτεροπαθική*.

συμπαθική oritur vel per consensum cordis & totius, vel per consensum hypochondriorum. Hæc vocatur Hypochondriaca melancholia, quæ non debet confundi cum hypochondriacâ affectione, cujus mentionem fecit primus Diocles, teste Galeno 3. loc. aff. cap. 7. Hippocr. 2. de morbis t. 147. secund. Salium. & 5. epid. agr. 5. Aliquando oritur per consensum uteri.

III. RATIONE CAUSARUM tot quot causæ sunt.

SIGNA ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΑ quod spectat.

I. RATIONE GENERIS, satis manifesta est Melancholia ex formâ læsæ actionis, & quidem INCIPIENS optimè cognoscitur ex signis à Rhaze propositis. I. Desiderio solitudinis,

litudinis, consuetudinem enim hominum fugiunt, ne aliorum
præsentia à falsa imaginatione, quam sibi fingunt & refingunt,
distrabantur. Taciturnitas insolita adest, manent enim occu-
pati circa objectum, quod sibi finxerunt. Vigiliis torquen-
tur, cerebrum enim repletur vaporibus siccis. Insomniis la-
borant, cum enim in somno spectrorum concursio valdè sit
molesta, vigiliis huic quieti præferunt. Vertigo adest à vitio-
so spirituum animalium motu: suspiria edunt, obliviscuntur
enim respirationis, hinc unâ vice tantum aëris attrahere co-
guntur, quantum duabus aut tribus spirationibus attraxissent,
diciturque hæc magna respiratio suspirium. SI AUGEScant,
Ore promunt, quod mente ante conceperant, sed cum bal-
butie, quæ inter signa Melancholiæ adnotatur ab Hippocrat. 2.
aphor. 40. Inquietudo perpetua adest. CONFIRMATAM in-
dicat Timor & Mœror, suspicio de infidiis paratis, Mortis
desiderium, quam tamen reverà averfantur. Signa differen-
tiarum etiam patent, manifestum enim est, quæ sit species de-
lirii, an cum risu, an studio &c.

II. RATIONE SUBJECTI, necessarium est, ait Ga-
len. 3. loc. aff. cap. 7. scire, an cerebrum per essentiam, an per
consensum afficiatur. Essentialis cognoscitur à continuitate
delirii, causis internis, dispositione hæreditaria cerebri, & ex-
ternis, ut viso spectro. Sympathica per consensum totius,
ostenditur à constitutione fusca & macilenta, vide Galenum 3.
loc. aff. cap. 7. prægressis febribus ardentissimis, & sanguine
ex vena secta nigro apparente, teste Galen. loc. cit. Per con-
sensum hypochondriorum si sit, accidentia circa illam regio-
nem initium capiunt, iis auctis, dolor & mœror augentur. Si
benè habent, post vomitum, ructum, ventriculus in causa est,
si adest strepitus & sonitus, quem Cælius Aurelianus ex Sorano
ὕδαρισμὸν, quasi aquæ murmurantis æmulum vocat, affici-
tur cavum inter ventriculum & septum transversum, si uri-
na pinguis apparet, pinguedinem omenti colliquari indicio
est; si à septo transverso, præter symptomata generalia, in-
visceribus velut spina esse videtur, septum foris tumet, ad

B

con-



contactum dolet, & expavescit, anxietas magna adest, teste Hippocr. 2. morbis. t. 159. sec. Salium.

III. RATIONE CAUSARUM. Humor Melancholicus ex suis signis cognoscitur, si cum sanguine mistus, risus adest, si cum pituita, oblivio, si cum bile, adest ferocia. Particularis causa facillè dignoscitur, sive sit naturalis dispositio corporis sive animi inclinatio.

PROGNOSTICA I. Salutis, quod attinet

I. RATIONE GENERIS proponit Hippocrat. 1. morb. sect. 2. t. 12. dum ait: Atra bilis non est lethalis, nisi quid aliud accedit; itaque propter hoc & alias causas periculosa est, unde rectè ait Galenus 6. aphor. 53. Nulla deliratio tuta, præcipuè si diuturna sit & confirmata. Incipiens enim facillè curatur, & rectè Aretæus lib. 1. curat. diuturn. c. 5. maturandum negotium suadet. Cum enim firma sede nititur, magnis remediis resistit. Differentias quod attinet, Facilius curatur, quæ est cum risu teste Hipp. 6. aphor. 53.

2. RATIONE SUBJECTI. Essentialis difficilior est curatu præcipuè si à viso spectro oriatur. Συμπνοή cæteris paribus tollitur facilius. Odiosa tamen illa oppositio inter ventriculum frigidum & jecur calidum, difficilem etiam reddit curationem. Spleneticae si superveniant aut hæmorrhoides, varices bonum. teste Hippocr. 6. aphor. 11. si à septo periculosior est.

3. RATIONE CAUSARUM, si à simplici humore melancholico periculosior, si sanguini permisto, securior. Quorū temperamento, ætati similis est affectus, iis minus periculum intendit. Fœminæ difficilior corripuntur, sed gravius affliguntur, propter imbecillitatem enim iudicii pravis imaginationibus totas se tradunt.

II. LONGITUDO, si spectatur Hipp. 1. morbis. Melanch. refert inter morbos longos & securos. Præcipuè autem essentialis, quæ à viso spectro oritur, longa est.

III. MODUS EVENTUS est. Ad SALUTEM, dissipata mate-

materia, vel ad infernas partes detrusa, Varices vel hemorrhoides teste Hipp. 6. aph. 11. & 21. Dysenteria si superveniat, sanatur, teste Cels. 2. c. 8. & Hipp. 7. aph. 5.

Ad MORTEM terminatur, cum in Apoplexiam desinit, teste Hipp. 1. de morb. f. 2. t. 13. In Epilepsia 6. Epidem. lib. 6. & Galen. 3. loc. aff. c. 7. In maniam teste Aretæo 1. caus. diurn. cap. 5. ubi Melancholiam Maniæ initium vocat: Habet, inquit pulcherrimè Crato ex Montani sententia, Humor melancholicus seminarium ignis in sese, & aliàs magis aliàs minus intenditur; & cum effervescit, in Maniam degenerat.

CURATIO, quarundam specierum fit solo astu, sic curata mulier, quæ serpentem se in intestinis habere falsò credebatur, clanculum serpente in pelvi secreta abscondita, illum enim se deiecisse cum fœcibus putabat: quædam rationibus & firmis curantur argumentis, sic Platerus studiosum Medicinæ, qui ranam quotidie coaxare in suo ventre existimabat, cum nullis modis ipsi depravatam hanc opinionem adimere possit, firmis & solidis argumentis, quæ refutare non poterat, demonstravit, Ranas in corpore vivo vivere non posse, neq; easdem, ultra biennium vivere posse. quædam solis precibus, quædam pœnis curantur, sic insania virginum Milesiarum, quæ correptæ, suspendio, vitam omnes finiebant, non cessabat, antequam Senatus decerneret, ut omnes, quæ posthac se suspendio conficerent, virgines nudato corpore efferentur palam ad sepulturam, eoq; edicto promulgato confestim hæc labes cessavit. Nos solum proponemus curationem illius Melancholiæ, quæ tolli potest ordinaria medicamentorum exhibitione, & si sermo sit de

METHODO CURATIVA, in ea locum habet omnis INDICATIO CURATORIA dispositionem ipsam præter naturam auferendam suadet. PRÆSERVATORIA causas respicit mediatas; Humor qua peccat quantitate evacuandus: qua qualitate, alterandus: Vapor, qua peccat substantia & loco excutiendus, qua peccat motu revellendus. VITALIS respicit virium conservationem per alimenta & medicamenta.

MATERIÆ PRÆSIDIOR. desumuntur ex fonte

B 2

ΧΕΙΡΟΥΡ-

ΧΕΙΡΟΥΡΓΙΚΩ. VENÆ SECTIO primum obtinet locum, quæ in omnibus melancholiæ speciebus convenit. In sympathica per consensum totitus institui potest in mediana cubiti, ad totius corporis evacuationem, Basilica ad particularem jecoris refrigerationem; educatur autem mediocri quantitate; Convenit etiam in Hypochondriaca sectio venæ medianæ & Salvatellæ, non solum in manu sinistra, quam in Lienis affectibus tantoperè commendavit *Galenus*, sed etiam in dextrâ, si per consensum jecoris introducatur, ut pulchrè explicat *Petr. Salius Divers. lib. 2. de morb.* Cucurbitulæ sacrificatæ parum juvamenti adferre queunt, non scarificatæ ad vaporum retractionem adhiberi possunt

Hirudines etiam venis sodalibus magna cum cautione applicandæ, cum educant non solum crassum, sed & floridum sanguinem. Cauterium in essentiali futuræ coronali applicatum quidam commendant, ego ejus usum valdè periculosum judico. Infernis autem partibus omninò applicari debent, cum suppleant vicem abscessuum, quibus interdum natura graves morbos curare solet.

ΦΑΡΜΑΚΕΙΑ pluribus indicationibus satisfacit, in ea occurrunt.

PRÆPARANTIA, quibus maximè opus habemus in ea, quæ est per consensum totius, debent habere vim attenuandi, aperiendi, sine insigni tamen calefactione & exsiccatione, quæ diligenter enumerantur à *Sennerto prax.* dentur potius in formâ liquida, humectatione enim fluidus humor redditur. Excellit hic Syrupus Altimari cap. de Melanch. quo multos melancholicos se restituisse ait: Oxymel Helleboratum Gesneri non caret sua prærogativa.

EVACUANTIA his subjungenda, quorum aliqua educunt materiam.

PER OS. VOMITORIA, quæ conveniunt præcipuè, si ventriculus multis pituitosis humoribus scatet.

PER ALVUM alia educunt, quorum quæ leniora prius in usum trahenda, ut Polypodium Cremor Tartari Elect. lenitivum Syrup. de Polypodio. *Aretæus lib. 1. diuturn. c. 5.* Subinde
parare

parare jubet sacram ex Aloe Medicinam, verum nos hanc cum cautione adhibendam censemus, Calidissima enim est, tutius Aloë exhiberi potest cum succo rosarum præparato: FORTIORA subjungenda, observatis præceptis à Mesue traditis, quibus monemur, ut 1. sensim & paulatim evacuemus. 2. eadem in forma liquida exhibeamus, 3. cum roborantibus misceamus, & 4. leniora eligamus, validioribus enim magis irritatur quàm mitigatur affectus, testibus ὁμοψύχοις Alexan. Massar. Cratone in Consil. Scholz. qui scribit, se multos melancholicos curasse, licet verè affirmare possit, se nunquam usum fortissimis. In progressu tamen curationis, humoribus ad exitum dispositis validiora exhibere possumus, ut tandem radix mali extirpetur. Materia nota est. Leniorum Basis erit Sena & Epithymum. Fortiorum Helleborus: Antimomium quidam commendant, Scammonium præparatum laudat Guarnerius, quæ tamen cum religione & cautione adhibenda, & non nisi ab illis, qui infringere noverunt adversam & inimicam illorum qualitatem. Atque præparations & purgationes hæ cerebrò repetantur, interdum, monente Ætio tetrabibl. 2. serm. 2. cap. 10. ne virtus opprimatur aut natura oneretur, omittantur, tum denuò reiterentur alternantibus & purgantibus simul mistis.

PER SUDOREM & URINAM vacuatio necessaria est, cum Melancholici serositatibus scateant. Neque particulares evacuationes capitis in essentiali omittenda. Administratâ hoc modo evacuatione totius corporis ad

ALTERANTIA accedendum, quæ simul habent vim deobstruendi & infarctus viscerum & lienis tollendi, præcipuè si per consensum oriatur, Ventriculi Jecoris vel Lienis.

IN VENTRICULI affectione. Tetucianæ aquæ potus triduanus commendatur à Mercuriali in curatione Illustris. Cardinalis Aquæ vivæ: Ejus loco substitui potest Decoctum pulli vel galli, cum humectantibus, borrag. buglos. attenuantibus, ligno sancto, sarsaparill. prout præscribitur à Mercuriali tom. 4. consil. 158. ut simul alvum solvendi vim habeat, addantur folia senæ singulis quaternis diebus.

JECUR si primam causam mali foveat. SERO lactis ni-

hū est præstantius, in quo infundatur absinth, agrimonia,
capill. Veneris. sem. frig. major. & ne in viis subsistat, aliquando
reddatur dejectorium, aliquando diureticum, quod pro re na-
ta sollicitus Medicus moderari debet, utatur eo per dies 20.
aut 25.

LIEN si coafficiatur, Decocto splenetico res expedien-
da est, quæ tamen sine chalybe ad felicem finem vix perdu-
ci potest, videtur enim Mars metallicus majoris mundi re-
spondere Marti microcosmi & custodia illius visceris invi-
gilare, cui coelitus destinatus est. Placet mihi valdè ejus
præparatio per sulphur ad friabilitatem, omnibus quidem
nota, sed propterea non parvifacienda. Exhiberi potest in
substantia & in fuso. De recto autem usu pluribus agit *Jul.
Cæsar Claudinus de ingress. ad infirmos*, & quilibet diligenter co-
gitare debet, ne intempestivo usu malum exasperemus, quod
facilè præcavebitur, si descensus ejus per alvum procuretur.

EXTERNÆ alterantia non sunt negligenda, **BALNEUM**
aquæ dulcis commendatum ab *Aretæo lib. 1. curat. diurn. c. 5.*
cui incoquantur herbæ emollientes, quod si nimis erit mole-
stum, **FOMENTUM** abdomen ex decoctis emollientium, In
Essentiali capiti lavacra admoveantur. Ungatur Jecur, Lien
Oleis confortantibus, aperientibus &c.

ROBORANDA tandem sunt viscera malè affecta

INTERNIS. Non solum cerebro, sed & cordi prospici-
endum, necessarium enim est, ut secundum omnem disposi-
tionem anima lætificetur. Materia nota est.

EXTERNÆ idem præstare possunt. **CAPUT** irrigetur
decocto cephalico, **Cordi** applicentur epithemata, **Jecoris &
Lienis** ratio habeatur.


DIÆTA maximo studio debet observari

AER sit clarus luminosus. **Cibus** *εὐχρηστος*, potius eli-
xus. Paternus Professor Patavinus plurimos Melancholicos
curavit esu pullorum & gallinarum enutritarum milio, mace-
rato in decocto Hellebori nigri. **Ufus** leporinæ carnis vitan-
dus, licet corpori gratiam conciliare credatur. **VINI** potus
moderatus non prohibetur, quo dulcescere hominum ingenia
scripsit

scripsit Zenon, sicut Lupinos aqua: Illustrissimus Princeps Carolus Austriacus hypochondriaca laborans à vini usu melius habuit. Alias aqua hordei, in qua chalybs exstinctus bibatur.

SOMNO nihil detrahatur. Affectus animi moveantur Musica; & ut Celsus ait, Quærenda delectatio ex fabulis, ludisque, quibus sanus maximè fuit delectatus.

ALVUS aperta servetur. VENUS prohibeatur, nisi ex amore in affectum inciderint, refert Aretæus lib. 1. diurn. cap. 5. duo juvenum exempla, qui cum puellæ amatæ se conjunxissent, auxilium contra morbum ab amore impetrarunt, & si honestas concubitum & consuetudinem talem non admittit, ne tamen sanitatis levem curam habere videantur, vel mutant locum, vel, quidvis aliud tentent potius, quàm quod illicitis amoribus, conscientiam maculent.



Ad Præstantissimum ac Literatissimum

**Dn. Respondentem, Amicum suum
dilectum.**

SUAVE Musarum decus ac voluptas,

Quis DEUS verò stimulos alacres,

Ausa quis cari generosa cordis

Indidit, HORNI?

Ut juvet labris, sitientibusq;

Hisce, deplere Aonios liquores

Atq; sic undam bibere ore cunctam

Bellerophontis.

Non eam mentem effigiare certò,

Non eum ardorem fuit at Promethei,

Ipsa sed finxit, reor, alma Pallas,

Almus Apollo.

Hinc

Hinc rigor mentis sacer, inde fervor,
Ut tui attentos studii labores,
Ut tuum tradas Medico rigandum
Pectus amicum.

Namq; Phœbea cupidum patescit
Artis esse illum, pede qui decoro
Pulpita ascendit, graviter suâ arte
Digna loquendo.

Cogitat inter furibundus arma,
Mente mercator, sed opes volutat,
Mens tibi at vivit melior, medentem
Colligis artem.

Perge sic artes colere, & brabeia
Digna non tandem deerunt, brabeia
Justa tradentur, patriæ tuisq;
Laus eris ampla.

In apertum amicitiae *γνώσις* sic dictæ
την ἀνετην faciebat

Matthias Friederich/ Phil. & S.S. Theol.
Studiosus.

Quando Melancholici naturam cernere tentas,
Istius & morbum pellere ritè doces;
Perbene crede facis, gratum est monstrare medelam,
Quæ res est suavis, res simul atque gravis:
Ast grave quamvis erit, conando vincitur, Ergo
Ingredere & ceptam scandere perge viam.
Tolle Melancholicum, qui nil nisi tristia tractat,
Plurima cum nobis tristia sæpe cadant,
Heus HORN! quæso! Nymphæ modulamine cedit,
Ergò potes Citharâ fundere dulce melos.

amicitiæ ergò apponere debuit

Johannes Lysthenius.

FINIS.

ULB Halle

3

005 132 649



V077







B.I.G.

Farbkarte #13

D. O. M. A.
DISPUTATIO MEDICA
DE
MELANCHOLIA.
Facultatis Medicæ Con-
sensu
Publicæ disquisitioni subjecta
IN ACADEMIA JENENSI
PRÆSIDE
WERNERO ROLFINK
HAMBURG. MEDICINÆ D.
AC PROFESSORE PUBL.

RESPONDENTE
JOHANNE CASPARO HORN,
Vall. Joach. Boëm.

Ad diem Julii horâ locoq̄ solitis.



JENÆ

Sub Calcographéo Tobia Steinmanni,
ANNO M. DC. XXIX.

767.
34
1629,2
10

113

